

contractus est, nullam dicit deordinationem, nec pravam inclinationem, sed solam obligationem ad id quod bonum est, scilicet, ad satisfaciendum Deo pro culpa; at vero hæc vilia, quamvis culpæ non sint, tamen in se retinent inordinationem quamdam, quatenus rectæ rationi repugnant, et inclinant ad ipsam culpam, et ideo magis huic assumptioni repugnant.

21. Aliud dubium, quod hic tractandum supra proposui, scilicet, de fomite peccati, quod cum præcedentibus videtur connexum, quia ad appetitum sensitivum proprie pertinet, in sequenti disputatione commodius tractabitur.

## ARTICULUS III.

Utrum in Christo fuerit ignorantia<sup>1</sup>.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod in Christo fuerit ignorantia. Illud enim vere fuit in Christo, quod sibi competit secundum humanam naturam, licet ei non competat secundum divinam, sicut passio et mors. Sed ignorantia convenit Christo secundum humanam naturam; dicit enim Damasc., in 3 lib.<sup>2</sup>, quod ignorantem et servilem assumpsit naturam; ergo ignorantia vere fuit in Christo.

2. Præterea, aliquis dicitur ignorans per notitiæ defectum. Sed aliqua notitia defuit Christo; dicit enim Apostolus, 2 ad Corinth. 5: Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit; ergo in Christo fuit ignorantia.

3. Præterea, Isaïæ 8, dicitur: Antequam sciat puer vocare patrem suum, et matrem suam, auferetur fortitudo Damasci. Puer autem ille est Christus<sup>3</sup>; ergo in Christo fuit aliquarum rerum ignorantia.

Sed contra. Ignorantia per ignorantiam non tollitur. Christus autem ad hoc venit, ut ignorantias nostras auferret; venit enim ut illuminaret hos qui in tenebris et in umbra mortis sedent; ergo in Christo ignorantia non fuit.

Respondeo dicendum quod, sicut in Christo fuit plenitudo gratiæ et virtutis, ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiæ, ut ex præmissis<sup>4</sup> patet. Sicut autem in Christo plenitudo gratiæ et virtutis excludit fomitem peccati, ita plenitudo scientiæ excludit ignorantiam, quæ scien-

<sup>1</sup> 3, d. 47, art. 4, q. 2, ad 5.

<sup>2</sup> Ort. fid., cap. 21, in princ.

<sup>3</sup> Augustin., serm. 4 de Epip., tom. 10.

<sup>4</sup> Q. 7, art. 9, et q. 9, art. 1.

tia opponitur. Unde, sicut in Christo non fuit fomes peccati, ita non fuit in eo ignorantia.

Ad primum ergo dicendum, quod natura a Christo assumpta potest dupliciter considerari. Uno modo, secundum rationem suæ speciei, et secundum hoc dicit Damasc.<sup>1</sup>, eam esse ignorantem et servilem. Unde subdit: Nam serva quidem est hominis natura ejus qui fecit ipsam, Dei, scilicet, et non habet futurorum cognitionem. Alio modo potest considerari secundum id quod habet ex unione ad hypostasim divinam, ex qua habet plenitudinem scientiæ et gratiæ, secundum illud Joan. 1: Vidimus eum quasi Unigenitum a Patre, plenum gratiæ et veritatis. Et hoc modo natura humana in Christo ignorantiam non habuit.

Ad secundum dicendum, quod Christus dicitur non novisse peccatum, quia nescivit per experientiam, scivit autem per simplicem notitiam.

Ad tertium dicendum, quod loquitur ibi Propheta de scientia humana Christi. Dicit enim: Antequam sciat puer, scilicet secundum humanitatem, vocare patrem suum, scilicet, Joseph (qui pater ejus fuit putativus), et matrem suam, scilicet, Mariam, auferetur fortitudo Damasci. Quod non est sic intelligendum, quasi aliquando fuerit homo, et hoc nesciverit; sed antequam sciat, id est, antequam fiat homo scientiam habens humanam, auferetur, vel ad litteram, fortitudo Damasci et spolia Samariæ per regem Assyriorum; vel spiritualiter, quia nondum natus populum suum sola invocatione salvabit, ut gloss.<sup>2</sup> Hieron. ibi exponit. Augustinus<sup>3</sup> tamen in sermone de Epiphan. dicit hoc esse completum in adoratione Magorum. Ait enim: Antequam per humanam carnem humana verba proferret, accepit virtutem Damasci, scilicet, divitias, in quibus Damascus præsumebat; in divitiis autem principatus auro defertur. Spolia vero Samariæ idem ipsi erant, qui eam incolebant. Samaria namque pro idololatria ponitur; illic enim populus Israel, aversus a Domino, ad idola colenda conversus est. Hæc igitur prima spolia puer idololatriæ dominationi detraxit. Et secundum hoc intelligitur, antequam sciat, id est, antequam ostendat se scire.

Negat D. Thomas: materiam vero hanc satis supra disputavimus, in quæst. 9.

<sup>1</sup> Loc. citat., in arg. primo.

<sup>2</sup> Hieron., ibi, tom. 5.

<sup>3</sup> In serm. 4, qui est 32 in ordine, ante med., tom. 10.

## ARTICULUS IV.

Utrum anima Christi fuerit passibilis<sup>1</sup>.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod anima Christi non fuerit passibilis. Nihil enim patitur nisi a fortiori, quia agens præstantius est patiente, ut patet per Augustinum, 12 super Gen. ad litteram<sup>2</sup>, et per Philosophum, 3 de Anima<sup>3</sup>. Sed nulla creatura fuit præstantior quam anima Christi. Ergo anima Christi non potuit ab aliqua creatura pati, et ita non fuit passibilis; frustra enim in ea fuisset potentia patiendi, si a nullo pati potuisset.

2. Præterea, Tullius, in libro<sup>4</sup> de Tusculanis quæstionibus, dicit quod passiones animæ sunt quedam ægri tudines. Sed in anima Christi non fuit aliqua ægri tudine, nam ægri tudine animæ sequitur peccatum, ut patet per illud Psal. 40: Sana animam meam, quia peccavi tibi. Ergo in Christo non fuerunt animæ passiones.

3. Præterea, passiones animæ videntur idem esse cum fomite peccati; unde et Apostolus, Rom. 7, vocat eas passiones peccatorum. Sed in Christo non fuit fomes peccati, ut supra dictum est<sup>5</sup>. Ergo videtur quod non fuerint in eo animæ passiones; et ita anima Christi non fuit passibilis.

Sed contra est quod in Psalm. 87 dicitur ex persona Christi: Repleta est malis anima mea, non quidem peccatis, sed humanis malis, id est, doloribus, ut Glossa<sup>6</sup> ibi exponit. Sic ergo anima Christi fuit passibilis.

Respondeo dicendum, quod animam in corpore constitutam dupliciter contingit pati. Uno modo passione corporali; alio modo passione animali. Passione quidem corporali patitur per corporis læsionem. Cum enim anima sit forma corporis, consequens est quod unum sit esse animæ et corporis; et ideo, corpore perturbato per aliquam corpoream passionem, necesse est quod anima per accidens perturbetur, scilicet, quantum ad esse quod habet in corpore.

<sup>1</sup> 3, d. 13, q. 4, art. 1, q. 1, ad 2, et d. 15, q. 2, art. 1, q. 1 et 2, et d. 33, lit. Et op. 2, c. 226. Et op. 60, cap. 3.

<sup>2</sup> Cap. 16, in medio, tom. 3.

<sup>3</sup> Tex. 19, tom. 2.

<sup>4</sup> L. 3, a princ.

<sup>5</sup> Art. 2 hujus quæst.

<sup>6</sup> Est glossa ordi., ex Augustino in hoc loco.

Quia igitur corpus Christi fuit passibile et mortale (ut supra habitum est<sup>1</sup>), necesse fuit ut etiam ejus anima hoc modo passibilis esset.

Passione autem animali pati dicitur anima secundum operationem, quæ vel est propria animæ, vel principaliter est animæ quam corporis. Et quamvis, etiam secundum intelligere et sentire, dicatur hoc modo anima aliquid pati, tamen, sicut in 2 parte dictum est<sup>2</sup>, propriissime dicuntur passiones animæ, affectiones appetitus sensitivi, quæ in Christo fuerunt, sicut et cætera, quæ ad naturam hominis pertinent. Unde Augustinus dicit in 14 de Civit. Dei<sup>3</sup>: Ipse Dominus, in forma servi vitam agere dignatus humanam, adhibuit eas ubi adhibendas esse judicavit; neque enim in quo verum erat hominis corpus, et verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Sciendum tamen est quod hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo quam in nobis, quantum ad tria: primo quidem, quantum ad objectum, quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit. Secundo, quantum ad principium, quia hujusmodi passiones frequenter in nobis præveniunt iudicium rationis; sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Unde Augustinus dicit, 14 de Civit. Dei<sup>4</sup>, quod hos motus, certæ dispensationis gratia, ita, cum voluit, Christus suscepit animo humano, ut, cum voluit, factus est homo. Tertio, quantum ad effectum; quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo non fuit; quia motus naturaliter humanæ carni convenientes, sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediatur facere quæ conveniebant. Unde Hieron.<sup>5</sup> dicit super Matth., quod Dominus noster, ut veritatem assumpti hominis probaret, vere quidem contristatus est; sed, ne passio in animo illius dominaretur, per passionem dicitur quod cepit contristari et mestus esse. Ut passio perfecta intelligatur, quando animo, id est, rationi dominatur; pro passio autem, quando est inchoata in appetitu sensitivo, sed ulterius non se extendit.

Ad primum ergo dicendum, quod anima

<sup>1</sup> Q. 14, art. 2.

<sup>2</sup> 1. 2, q. 22, art. 2 et 3.

<sup>3</sup> C. 9, parum ante medium, tom. 5.

<sup>4</sup> C. 9, parum ante medium, tom. 5.

<sup>5</sup> Cap. 16 in Matth., super illud, *pit Cæ contrist.*, tom. 9.

*Christi poterat quidem resistere passionibus, ut ei non supervenirent, præsertim virtute divina; sed propria voluntate se passionibus subiciebat, tam corporalibus, quam animalibus.*

*Ad secundum dicendum, quod Tullius<sup>1</sup> ibi loquitur secundum opinionem Stoicorum, qui non vocabant passiones quoscunque motus appetitus sensitivi, sed solum inordinatos; tales autem passiones manifestum est in Christo non fuisse.*

*Ad tertium dicendum, quod passiones peccatorum sunt motus appetitus sensitivi in illicita tendentes; quod non fuit in Christo, sicut nec fomes peccati.*

## COMMENTARIUS.

Duobus modis potest anima dici passibilis. Uno modo, secundum essentiam; alio modo, secundum potentias; et quidem priori modo, naturaliter loquendo, anima non est passibilis, nisi quatenus forma corporis, et quatenus per alterationem ejus separari ab eo potest, et a suo statu naturali immutari; et hanc vocavit D. Thomas passionem corporalem, de qua recte docet, animam Christi fuisse passibilem pro statu viæ, quod nihil aliud est quam dicere, corpus passibile informasse. Posteriori autem modo, scilicet, secundum potentias, dicitur anima passibilis passione animali, quatenus per affectum doloris et tristitiæ, et alios similes pati potest. Et hoc etiam modo docet D. Thomas, in 2 part. articuli, animam Christi fuisse passibilem, quam denominationem magis proprie sumi dicit ab actibus appetitus sensitivi, quam voluntatis, quia illi proprie fiunt cum motione et alteratione corporis, et ideo nomen passionum sibi proprie vendicant; quia vero hujusmodi passiones fuerunt in Christo omnino moderatæ, et rationi subjectæ, ut art. 2 dictum est, ideo addit D. Thomas, ex doctrina Hieronymi, non fuisse hos affectus in Christo per modum passionum, sed propassionum. Quam doctrinam statim in sequenti disputatione explicabimus; prior enim pars hujus articuli, quæ ad passionem corporalem pertinet, nulla disputatione indiget, quia coincidit cum doctrina de corpore passibili Christi supra tractata; posterior ergo pars, quæ est de passione animali, fusius a nobis explicanda est.

<sup>1</sup> Loco citato, in arg. 2.

## DISPUTATIO XXIV.

in tres sectiones distributa.

DE APPETITU SENSITIVO, ET PERFECTIONIBUS VEL DEFECTIBUS CONVENIENTIBUS ANIMÆ CHRISTI RATIONE ILLIUS.

De intellectu animæ Christi, et perfectionibus vel defectibus ejus, dictum late est supra, q. 9 et seq., ubi obiter etiam de sensibus diximus id quod sufficere visum est. De voluntate autem Christi agit D. Thomas infra, q. 18, quanquam de præcipuis ejus perfectionibus supra dixit, q. 7, et in art. 1 hujus quæstionis ab illa exclusit primum et maximum defectum, ut visum est; sed de cæteris, quæ de voluntate supersunt, dicemus q. 18, ne D. Thomæ ordinem invertamus. Solum ergo superest dicendum de appetitu sensitivo animæ Christi, ejusque actibus, unde etiam constabit quos defectus media hac potentia assumpserit.

## SECTIO I.

*An in Christo fuerit appetitus sensitivus, et actus ejus.*

1. Dico primo esse in Christo Domino verum appetitum sensitivum. Ita supponit D. Thomas hic, et docet infra, q. 18, art. 2, et reliqui Theologi, in 3, dist. 17; et est censenda res certa de fide, quia, licet sub his terminis non sit in specie definita, tamen continetur in generalibus definitionibus Conciliorum, quibus assumpsisse Christum humanam naturam cum suis omnibus facultatibus traditur, quæ supra, q. 9, ostensæ sunt. Est autem una ex his appetitus sensitivus, non quidem ut hoc nomine intelligam qualitatem aliquam ab anima distinctam (hoc enim sub opinione est), sed proximam facultatem necessariam ad actus, seu affectiones sensibiles et animales eliciendas; unde etiam ex illis locis Scripturæ, in quibus hi actus tribuuntur Christo, evidenter hæc veritas colligitur. Cujus ratio patet ex dictis, est enim hic appetitus de perfectione et integritate humanæ naturæ, qui etiam maxime necessarius fuit ad finem redemptionis, scilicet, ut pro nobis Christus pati posset.

2. Dico secundo fuisse in Christo veros et proprios actus hujus appetitus. Conclusio est æque certa ac præcedens; testimonia vero, quibus probanda est, afferemus infra, de sin-

gulis actibus in particulari disputantes. Ratione declaratur primo, quia potentia est propter actus, secus otiosa esset, præsertim quando actus sunt immanentes, qui per se pertinent ad connaturalem individui perfectionem; secundo, quia, ut dicebamus, isti actus fuerunt accommodatissimi ad finem redemptionis, et ad veritatem humanæ naturæ demonstrandam; tertio, quia in Christo fuerunt actus sensuum externorum et internorum; ergo et appetitus sensitivi; quarto denique, quia voluntas Christi operabatur modo naturali, et accommodato animæ informanti corpus; est autem naturalis consensio inter hujusmodi facultates, ut voluntas excitare possit, et movere appetitum ad similem seu proportionalem actum, et hic modus pertinet ad perfectionem humanæ operationis, et nihil habet indecens, vel Christo repugnans; ergo.

3. *Appetitus sensitivus in Christo semper rationi obediens.* — Dico tertio: isti actus semper fuerunt in Christo ex consensione rationis et voluntatis, quam nunquam prævenire poterunt. Est communis sententia, non solum Theologorum, sed etiam sanctorum Patrum. Leo Papa, Epist. 11, circa finem, inquit, *animam Christi excellere, non diversitate generis, seu sublimitate virtutis, nihil enim carni suæ habebat adversum, nec discordiæ desideriorum gignebant compugnantiam voluntatum; sensus corporei vigeant sine lege peccati, et veritas affectionum, sub moderamine deitatis et mentis.* August., lib. 4 contra Duas epist. Pelagianorum, dicit fuisse proprium Christo non sentire repugnantiam carnis et concupiscentiæ. Intelligendum vero est, per se, et ex vi suæ conceptionis, hoc fuisse proprium illius; alio enim modo communicatum fuit Virgini, ut infra dicemus; similiter lib. 2 de Peccator. merit. et remis., c. 29, et lib. de Corrept. et grat., c. 11, dicit in Christo non fuisse illam pugnam carnis et spiritus, quam describit Apostolus, ad Rom. 7. Idem lib. 4 Hypognost., circa finem, ubi indicat Pelagianos contrarium sensisse. Cyprianus hoc sensu dicit in sermone de Jejunio et tentationibus Christi, ipsum caruisse et sensu, et consensu peccati. Probat etiam hoc late Damasc., lib. 3 de Fid., cap. 20 et 32, ubi dicit, hos affectus fuisse in Christo voluntarios, quia nihil in illo coactum fuit. Denique in V Synod., collat. 8, can. 12, damnatur quidam Theodor., qui dicebat Christum aliquo tempore vitæ suæ rebellio-nem hujus appetitus passum esse, et virtutis

exercitio illam superasse. Rationes faciles sunt: prima, quia appetitum inferiorem moveri contra vel præter superioris consensum, est quidam defectus humanæ naturæ, qui in aliis hominibus ex peccato originali contractus est; sed in Christo esse non potuit ex hac radice, nec vero oportuit aut decuit voluntarie assumi, quia neque ad fidem incarnationis, seu nostram utilitatem conducebat; nec per sese erat expetibilis, aut Christo conveniens; ergo assumptus non est. Secunda, quia hic defectus neque fuit in statu innocentiae, neque erit in statu gloriæ: Christus vero Dominus utriusque status perfectionem assumpsit, excepto corpore impassibili. Tertia: Christus semper fuit in actuali usu rationis, quo potuit prævenire et considerare quidquid appetitum suum excitare poterat, quod per voluntatem potuit vel admittere, vel vitare. Rursus habuit, saltem per supernaturalem virtutem, perfectum dominium omnium suarum potentialium; ergo et appetitus sui, et omnium actuum et motionum ejus.

4. *Dubium quomodo voluntas Christi in regendo appetitu se habuerit.* — *Responsio.* — Sed quæres an hujusmodi actus appetitus fuerint semper in Christo profecti ex positivo consensu et motione voluntatis, an vero interdum fuerint prævisi et permisi. Respondetur, sæpe fuisse Christum usum priori modo positivæ motionis, ut constat ex illo Joan. 11: *Turbavit semetipsum*, ut ibi notarunt Chrysostom., homil. 62; Cyril., lib. 7 in Joan., cap. 20; August., tract. 49; Theophyl., Euthy., etc.; et fortasse fere semper hoc modo operatus est, quia et perfectior est, et illi facillimus. Quanquam in rigore non sit necessarius ut illi motus seu effectus dicantur voluntarii, et ex ratione profecti, absque ullo defectu virtutis; satis enim esse potuisset ut, præeunte advertentia rationis, portio superior permitteret inferiori operari quæ illius sunt propria, ut loquitur Damasc., lib. 3, c. 13 et 20; ut enim q. 14 dicebamus, naturales Christi facultates non impeditæ, et habentes applicata objecta, naturaliter operabantur, ut si flagellabatur, naturaliter dolebat, etc.

5. *Passiones sensibiles an fuerint in Christo.* — Et ex his facile definitur illa quæstio, an in Christo fuerint passiones sensibiles; si enim sit sermo de re ipsa, constat in illo fuisse affectus qui in nobis dicuntur passiones, quia hi affectus seu passiones in nobis nihil aliud sunt quam prædicti actus appetitus sensitivi, quatenus fiunt cum corporis motione et